DE VENERABILI SERVO DEI

GREGORIO
CARDINALI BARBADICO

ORATIO

Habita coram SS. Domino Noſtro

BENEDICTO XIII.

PONTIFICE MAXIMO

IN PUBLICO CONSISTORIO

A JOHANNE ASCEVOLINI

Conſiſtorialis Aulæ Advocato.




ROMAE

EX TYPOGRAPHIA VATICANA

M. DCCXXVIII.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google



O R A T I O.

MIHI jure lætandum eſt, PATER SANCTISSIME, quod ſupremam hanc Aulam, in quâ auctoritate Tibi traditâ divina negotia peraguntur, hodiernâ die dum repeto, iterum apud Te cauſam defero, quæ omnibus grata, & ſummopere levat dicentem, & orationi quantumvis rudi benevolentiam non defuturam promittit. De Venerabili enim Servo Dei GREGORIO CARDINALI BARBADICO habendus eſt ſermo, cujus ſpectatæ Virtutis, ex hoc ampliſſimo loco quocumque me verto, ubique eſſe incorruptos teſtes conſpicio. Non etenim admirabilis ejus vita horum recordationem eſt prætervecta, ſub quorum oculos, ſenſuſque tranſacta fuit; nec ita parum ejus ſanctitatis fama eſt pervagata, quæ quotidiano ſermone non ſoleat uſurpari: quam ob rem totâ hac ornatiſſimâ auditorum frequentiâ, partim memoriâ, partim prædicatione, orationi meæ ſuffragante, quantum ex laudibus GREGORII a dicentis tenuitate detrahetur, eiſdem ab adſtantium pietate tantumdem celebrationis accedet. Præ ceteris tamen me recreat multis, magniſque rebus perſpecta ſingularis

integritas Tua, PATER BEATISSIME, qua in actis Beneventi rite firmatis heroicæ GREGORII pietati religioſum plane dediſti, graviſſimumque teſtimonium. Quare Tibi hoc judicium a D. O. M. reſervatum videtur, ut quem ingenti jam olim admiratione es proſequutus, eumdem etiam ad rerum faſtigium maximo mortalium bono ſubvectus pro æquiſſimo Tui animi ſenſu in Beatorum album referres. Quod ut facilius exorem, duplici capite rem totam complectar. Exponam in primo ſingulares ejus virtutes, quas in humanis agens ſtudioſiſſime coluit: in altero verò mira per eum divinitus facta perſtringam, quorum magnitudine fideles commoti flagrantiſſimis populorum ſtudiis Servo Dei Beatorum gloriam efflagitant.

Venetiis in antiquiſſima, & celeberrima Urbe natus eſt illuſtri loco GREGORIUS, Patre Johanne Franciſco Barbadico Senatore nulli ſecundo, Matre Lucretiâ Leoniâ, Catholicis ſane, & religioſis parentibus anno ab orbe redemto milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quinto. Infantiam, pueritiamque habuit ſpectabilem; neglectis quippe puerilibus omnibus in domus penetralia ſecedere, ibi in genua provolutus, diu multumque preces fundere, frequenteſque animo divinæ caritatis actus concipere. Quò magis adoleſcebat ætate, eò impenſius in ſolida proficiebat virtute: & quantum temporis alii otio, atque oblectamentis, tantum ille humaniorum literarum ſtudiis, ac pietati impendebat: quare & bonarum artium ſpatia brevi fuit emenſus, & futuræ ſanctitatis haud dubia quædam lineamenta monſtravit. Annum octavum ſupra decimum agens Equiti Contareno excelſi omnino, & erecti animi viro, qui Venetorum Orator ad conventum Monaſterienſem pacis cauſâ iter habebat, ſe ſe comitem adjunxit: quo loci ob egregiam adoleſcentis indolem rei non levis adminiſtratio ei fuit commiſſa, quam felicius nequaquam geſſiſſet complurium negotiorum prudentiâ vir exercitatus. Itaque omnium oculos Procerum, qui convenerant Monaſterium in ſe convertit, & præ ceteris animi bonis quum religione emineret GREGORIUS, inſignis

Præ-

Præſulis Fabii Ghiſii ibidem hujus Apoſtolicæ Sedis Apocriſarii ita ſibi benevolentiam conciliavit, ut Ghiſius in poſterum eodem uſus fuerit familiariſſime.

Publicis rebus a conventu ad concordiam adductis, Gregorius in Germaniam primum, deinde in Belgium, tandem Pariſios profectus eſt, ubi aliquandiu moratus tanta Chriſtianæ modeſtiæ dedit ſpecimina, ut ipſi Galliarum Regi, quem officioſe ſalutatum adierat, ſui vel maximam admirationem ingeſſerit, idemque Rex de Gregorio affirmaverit coram, ſe non adoleſcentem equitem, ſed cœnobitam omnibus numeris abſolutum vidiſſe. Venetias reverſus in Collegium Sapientum recipitur: & quamvis ſummos in Republica honores procedente tempore ſperare poſſet, ad altiora tamen intendens animum de terrenis nuncio remittendo, atque alicui regulari inſtituto de dando nomine cœpit deliberare. Viro prudenti, qui illi erat a confeſſionibus, conſilium aperit, quo hortante de Eccleſiaſtica vita capeſſenda decrevit. Ergo clericalem induit veſtem, virtutibus, quæ Clericos decent, præter modum ornatus: ceteriſque per ſolitos gradus expletis, ad Sacerdotalem ordinem mirâ quadam pietate promotus eſt.

Interea Ghiſius illuſtrium ſpectabilis gloriâ factorum in Cardinalium ampliſſimum ordinem jam cooptatus Pontifex Maximus nomine Alexandri VII. renunciatur, qui Servi Dei memoriâ repetens perſpectas ſibi, & exploratas virtutes, juſſit Gregorium Romam ſe conferre, eumdemque humaniſſime exceptum, aſcitumque inter domeſticos Præſules, Patavinæ Cathedralis Eccleſiæ Canonicum eligit. Dum autem in Aula Alexandri moraretur Gregorius, Urbem peſtilentia ingens invaſit, quæ ſævum in modum quum cœpiſſet graſſari, ad eam avertendam, diligentiam omnem Pontifex contulit. In hac re non levis fuit momenti præponere ſingulis Romæ regionibus complures ex Præſulum ordine, quo, quæque erant curandæ valetudini, leniendiſque afflictationibus, maturius peragerentur. Verùm non ſine

ne prudenti conſilio, ac pene dixerim Deo afflante, Tranſtiberinæ regioni Gregorius præficitur, ut ubi majores pauperum erant anguſtiæ, major etiam Præfecti caritas eluceret. Habuit a Gregorio cumulatiſſime hæc virtus, quod ipſa poſtulabat in miſerorum levamen. Conſumtos inediâ pauperes cibo ipſemet fovit, ſorbitiunculis recreavit exuſta membra languentium. Dira lue confectos propriis manibus ipſe tractavit. Lavit purulentam vulnerum faciem, quam alius horruiſſet aſpicere. Refugiebat ſane præ anguſtia ſtomachus iſta exercere caritatis officia: ſed miſeratus ægrotos ex eodem, quo nos, luto formatos, & aliena vulnera exiſtimans propria, omnem animi reluctationem iſtâ meditatione perfregit. Quare nil mirum, ſi caritatis Gregorii ita fama percrebuit, ut ſe in Urbe nequaquam continens, paſſim totam Italiam ſummâ celebritate pervaſerit: atque ita conſtanter animis hæſit infixa, ut etiam nunc, quod conſtat ex actis, in illa regione perſeveret.

Ergo tantæ virtutis admiratione Alexander permotus, Bergomenſi Eccleſiæ per id temporis proprio viduatæ Paſtore Gregorium, quamquam invitum, præfecit; ratus præter illum neminem melius tam gravi munere potuiſſe defungi. Itaque obedientiæ causâ conſecratus Epiſcopus, brevi ſe contulit Bergomum, ut ſuper gregem ſibi commiſſum cor ſuum traderet ad vigilandum diluculo. E veſtigio accitos Apoſtolicos Viros miſit operarios in agrum Eccleſiæ, qui Catecheſi, qui concionibus, qui Sacramentorum adminiſtratione dominicam ſegetem multiplicarent. Ipſe verò præ omnibus forma gregis factus ex animo, qua verbo, qua exemplo, diſperſos Iſrael revocavit, atque eorum ſedibus fortiter, ſuaviterque reſtituit: quod mox certo certius patebit, quum præcipua ad Gregorii virtutes progredietur oratio. Nec interim maximis ejus laboribus maxima præmia defuerunt. Ab eodem namque Pontifice Virtutum omnium æſtimatore juſtiſſimo in Sacrum Purpuratorum album refertur: nec multo poſt, ac ſi caritatem ejus Bergomenſis Ecde-

cleſia anguſtioribus finibus coerceret, ad Patavinam Pontificis juſſu transfertur. Caroli Borromæi & Purpurati, & Archiepiſcopi ſanctiſſimi vitam tunc ſibi ante oculos in exemplar conſtituit, quem ad ſupremum uſque diem moribus exprimens, qui ſibi alium ad imitandum propoſuit, dignus evaſit, quem alii imitarentur. Quum autem ad hoc ſublime Sanctitatis faſtigium pervenerit ſingulari copiâ virtutum, ut de eiſdem verba faciamus, ratio ſermonis requirit.

Jam vero ſi omnia ejus decora ordine perſequar dicendi modum excedam, me citius die, quàm rerum copiâ deficiente. Quare ſicut Terrarum Orbis conſpectum exponentes in tabulis majores tantùm partes deſignant, ceteras intuentibus conſiderandas relinquunt: ita ego de Gregorii Virtutibus non ſingillatim orationem inſtituam, ſed fidem, ſpem, & caritatem omnium primas commemorabo tantummodo: de reliquis autem quid ſentiendum ſit Sanctitas Tua pro eximia, qua pollet, religione, & prudentia judicabit.

Igitur Venerabilis Servus Dei fidem, quam ex ſacro fonte ſuſcepit, quoad vixit, immaculatam ſervavit; omnibuſque prorſus aſſentiens, quæ Sancta Mater Eccleſia proponit credenda, talem ſe perpetuò exhibuit in opere, qualem in mente formaverat pietas. Principio Deum demiſsâ veneratione, qua Dominum, qua Patrem verò intimo cordis affectu reverebatur, maximumque erga ipſum amorem, timoremque cuſtodiens, totus propagandæ ejus gloriæ ſtudio conflagrabat. Fidei myſteria, ac præcipue Servatoris noſtri paſſionem ſummopere recolebat, in ſacrarum literarum lectione verſabatur quotidie, Sacramenta mirâ religione, & aſſiduitate adminiſtrabat, nunquam niſi affectæ valetudinis causâ ceſſabat a Sacro faciendo, quod tam pio mentis ardore peragebat, ut quaſi raptus in Deum adſtantes in admirationem traheret, atque ad pietatem traduceret. Ita ille firmiter credens, alios etiam firmiter credere pro virili curavit.

Digitized by Google

Verùm de invicto zelo BARBADICI fidei propagandæ, tuendæque, quis pro rei dignitate ſermonem habeat? Hæreſim Quietiſtarum vocatam eâ tempeſtate Italiam pene univerſam fœdantem impenſe inſectatus, in ejuſdem Diœceſi mirâ celeritate delevit. Ut remotiſſimis oris, ac diſſitis Regnis Catholica veritas manifeſtaretur, quam induſtriam neglexit, quem laborem non ſuſcepit, quibus ſumtibus pepercit? Patavinum Seminarium omnium bonarum artium ſedem effecit. Eò Orientalium literarum exercitationem, ac typographiam invexit. In illo Alumni Hebræam, Chaldaicam, Aramæam, & Græcam linguam edocti, ut deinde Paganorum loca fidei promulgatione peragrarent. Alcoranum arabicis characteribus cum latina confutatione typis excuſum; opus maximo uſui, quibus Turcarum converſio procuratur. Oh zelus vere providus! Oh mens vere ſagax GREGORII! Eccleſiæ Sponſæ ſuæ moderatione detentus, quod per ſe præſtare non poterat, plurimorum præſtitit miniſterio. Præſtitit tamen per ſe quantum potuit erga Judæos, qui in ejus morabantur ditione, erga hæreticos, qui Urbem Patavium adveniebant. Illos de Redemtoris adventu tam perſpicuâ informabat auctoritate Prophetarum, ut diſcuſsâ e mentibus eorum caligine novæ legis lumen conſpicerent. Hos benevolo exceptos hoſpitio, omnique officiorum comitate delinitos, ab errorum pravitate ad veram Eccleſiam avocabat. Itaque fidem ejus Domino benedicente, triumphavit nemo, vel felicius de Hæreticorum pertinacia, vel facilius de Judæorum perfidia.

At ſi fidem GREGORII tot præmiis muneratus eſt Deus, in miſericordia, & miſerationibus ſpem quoque ejus coronavit. Quum enim ſpes ejus immortalitate eſſet plena, rerum cæleſtium voluptate, veluti proprio quodam ſenſu, affectus Terrena omnia Deo dante faſtidivit. Teſtis ſit ingens illa vis divitiarum, quam hilari animo diſperſit, ac dedit pauperibus. Dedit temporalia GREGORIUS, ut haberet æterna; dedit ter-

ram,

Digitized by Google

ram, ut acciperet Cælum. Teſtis ſit invicta illius fortitudo in adverſis, quorum pondere minime fractus, cum Eccleſiæ jura ſtrenue defendit, tum a via juſtitiæ nunquam deflexit. Teſtis ſit generoſa illius repudiatio (atque hoc unum præ ceteris divinæ ſpei GREGORII ſit argumento) qua honorem omnium maximum recuſavit incredibili ei ſuffragiorum conſenſione delatum. Alexandro enim nominis ordine Octavo vitâ functo, quiſnam in boni Principis ſedem bonus ſufficeretur, mature Patres cœperunt deliberare. Haud morâ in GREGORIUM ſtudia omnium certant, GREGORIUM vota omnia deſiderant. Quid interea GREGORIUS? Omnem lapidem movere, ne ſupremus Pontifex fieret. Se tanto oneri minorem obortis lacrymis expoſtulare, & modo ſenilem ætatem, modo prudentiam ſuam minùs aptam ſummo Sacerdotio cauſari. Et quamquam ille magis, ac magis ſtudia Patrum in ſe concitaret repugnando; tamen Deus ab hac intolerabili, ut ipſe dicebat, vexatione eum liberavit, alium eligendo, qui ſuæ præeſſet Eccleſiæ. Ex qua re mirum quantum gaudii GREGORIUS perceperit, quàm immortales gratias egerit Deo, dum oculos in Cælum intendens ſæpe magnâ voce clamavit: *Dirupiſti Domine vincula mea, Tibi ſacrificabo hoſtiam laudis*. Oh vocem vere mirabilem nihil prorſus terrenas cupiditates ſapientem! Admirentur alii incredibiles ejus virtutes, in quarum ſingulis ita enituit, ac ſi ceteras non haberet, ego nil ita ſtupeo (verbis utar Hieronymi) quam gloriam iſtam, & honorem potuiſſe calcare. Animi demiſſione veluti gradibus in Cælum aſcendi Servus Dei didicerat, per ſui contemtum Deo propinquus non honores, non imperium, non divitias, ſed Dominum ex toto corde, ſed proximum, ſicut ſemetipſum diligendum habebat in ſinu.

Quoniam vero ad caritatis virtutem ſermo quaſi ſuâ ſponte progreſſus eſt, doleo ſatis, querorque me facta dictis æquare non poſſe, quorum numero & magnitudini viribus impar

 om-

Digitized by Google

omnino ſuccumbam oportet materiæ. Tanta enim eximiæ caritatis argumenta patefecit, ut ceteræ ejus virtutes cum aliis communes, hæc illius propria fuiſſe videatur. Profectò in eas cogitationes frequentius animum intendebat, quibus amore exardeſcens coleret Deum; atque illis operibus ſtudioſius inſtabat, per quæ Chriſtianâ liberalitate conſpicuus juvaret conſervum. In Deo, quem ejus theſaurum vocare ſolitus erat mens ſolum acquieſcebat, nec ulla unquam vis, aut affluentiæ, aut honorum, aut tribulationis, aut anguſtiæ eum a tam multa caritate ſeparavit. Quare perbelle GREGORIO congruunt indicia, quibus teſte Laurentio Juſtiniano verus amor dignoſcitur: *Vis noſſe*, inquit ille, *ubi theſaurizas? Attende quid amas. Vis noſſe quid amas? Attende quid cogitas.* Omnes affectus GREGORII in Deum erant directi, &, ut amantium mos eſt, de Deo cogitans, ſemper cum delectatione, ſemper cum anxietate cogitabat. Virorum divino amore flagrantium conſuetudinem deſiderabat in primis, eâdem plurimum utebatur, ex ea ſummam jucunditatem capiebat; nec certe aliam ob cauſam, quàm ut in eo divinus amor ſuccreſceret, illius novum pabulum ardori ejus ſuppeditantibus. Nec vero tantæ caritatis vim premebat in ſinu, quin inſtar multo igne accenſæ fornacis foras erumperet, inflammaretque corda proximorum. Siquidem innumeri ejus opera in optimos mores tranſierunt de peſſimis, facti ex ebrioſis ſobrii, ex crudelibus mites, ex incontinentibus caſti. Propria largiti ſunt propter Deum, qui prius turpiter furabantur aliena, & qui hujus ſeculi exercebant illicita, etiam licentia æternæ beatitudinis causâ cœperunt contemnere. Plane felices Diœceſes Bergomenſis, ac Patavina, quibus præfuit GREGORIUS divino, eodemque maximo beneficio. Ovile enim creditum ſibi omnia omnibus factus pavit exemplo, pavit precibus, pavit doctrinâ. Ita converſatio erat ſancta, ut domus ejus magiſtra eſſet publicæ diſciplinæ: ita preces ferventes, ut plurimorum animas ad vitam ſervaverint: ita prædicatio efficax,

Digitized by Google

cax, ut inſtituerit rudes, firmaverit doctos, fregerit pervicaces, omneſque, quos potuit ad colendum Deum adduxerit.. Si in refractarios coactus erat animadvertere, ſic Jura diſciplinæ exercebat, ut caritatis viſcera non amitteret. Ad colloquium quempiam recepturus, ſic facilem ſe præbebat cuique, ut neminem triſtis exceperit, neminem triſtem dimiſerit. Suum erat ſubvenire pauperibus, viſitare languentes, ſimultates reſtinguere, ſpem miſeris, ſolamen lugentibus impertiri. Scilicet domum ſuam aperuit inopi, & manus ſuas extendit ad pauperes, erga quos quantum in eo fuerit ſtudium, vel id indicio eſſe poteſt, quod pretioſâ ſuppellectili ſæpius aulæ ſpoliavit parietes, ut proximorum nuda membra veſtiret; equos, & rhedas venumdedit, ut virgines inſtrueret dote, rerum inopiâ ſubeuntes honeſtatis diſcrimen. Frumentum in horreis congeſtum ſine pecunia diſtribuit, ut invaleſcentem annonæ diſſicultatem leniret. Nobiles viros everſâ fortunâ laborantes clam copioſâ ſuſtentavit eleemoſynâ, ne coram manum ad ſtipem cogerentur porrigere. Quid plura? Lecto, in quo BARBADICUS jacebat, pauperem donavit petentem, ne qui ægre ducebat vitam, ſolatio deſtitueretur cubilis. Dum autem omne patrimonium ſupra miſerorum effundebat egeſtates, nihil ab ejus ore audiebatur frequentius, quàm hæc vox: cognoſco me nil dare de meo, qui de pauperum ſubſtantia vitam traduco. Qua de re parco admodum ſumtu GREGORIUS vivebat, eâque ſuppellectili erat apprime contentus, non quæ ſupereſſet, ſed quæ nec ſufficeret: ita omnia, quibus utebatur, magnam prorſus paupertatem redolebant.

Hic locus eſſet, PATER SANCTISSIME, in quo ex maximis operibus de GREGORIO hactenus commemoratis aperte concluderem, tantam erga Deum, & proximum ejus caritatem fuiſſe, ut nulla dilectioni major acceſſio potuerit fieri; niſi heroicum facinus caritatis documentum certiſſimum, quod in curſus conſummatione reliquit, explicandum ſupereſſet. *Majo-*

rem,

rem, Chriſtus Dominus inquit, *hac dilectionem nemo habet*, *ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*. Poſuit animam ſuam pro ovibus ſuis Paſtor vere bonus GREGORIUS, qui ferventiore anni parte Diœceſim multis, magniſque luſtrans laboribus, in eam incidit valetudinem, qua trium, vel quatuor dierum ſpatio ſublatus eſt ab humanis. Internâ enim viſcerum inflammatione ex ea re conflictatus pridie Idus Junias Patavium regreditur, eademque die anniverſariam Divi Antonii celebritatem reducente, quamquam magis, magiſque ingraveſceret morbus, in ejus honorem, tum ſerò, tum mane, ex forma ſolenni præfuit Sacris. Verùm ſub veſperam ſolennitatis ejuſdem, febris ardore vehementer correptus, lectoque illatus, ad viam æternitatis arripiendam tantâ ſe cœpit hilaritate comparare, ut poſt longum iter Patriam conſpicienti ſimillimus videretur. Quare omnibus Chriſtianæ religionis adjutus myſteriis, annum ſecundum ſupra ſeptuageſimum agens illud firmâ ſpe repetens Pſalmi: *in Te Domine ſperavi*, *non confundar in æternum*, dormientis ſpeciem referens, & quadam ex ejus facie venuſtate emicante, quæ futuram illi gloriæ coronam portendebat, placidiſſime efflavit animam decimo quarto Kalendas Julias anni milleſimi ſexcenteſimi nonageſimi ſeptimi, hora, ſicut prædixerat, undecimâ, maximâ omnes ordines pervadente opinione ejus Sanctitatis; elatuſque eſt triumphali potius, quàm funebri pompâ in voluntario Civitatis univerſæ juſtitio.

Poſtquam vero de rebus a GREGORIO ſancte, pieque geſtis ſermonem habui, reliquum eſt, PATER SANCTISSIME, ut mira, quæ divinâ operante virtute ipſe patravit, breviore, quo poſſum, verborum ambitu exponam. Mirificavit enim Dominus Servum ſuum, cum prophetiæ dono dum viveret, tum gratiâ curationum, & ſignorum, præſertim ſimul ut mortem occubuit. Nimirum divino, ſpiritu afflante plura ſupra hominum vires, clariſſimo quodam lumine GREGORIUS præcognovit. Quinquennio antequam e vita cederet, Georgium Cornelium

ſuc-

Digitized by Google

ſucceſſorem ſibi in Patavina Sede prænunciavit. Treſti dum ſacræ Viſitationis causâ moraretur in Oppidum Atteſtinum fuit evocatus, ut Helenæ Momolæ Joſephi Sacerdotis amitæ, domeſticorum ſententiâ, animam agenti ſacram de more Eccleſiaſtico benedictionem impertiret. Venit ad Oppidu m,inviſit ægrotantem, deprecatus eſt ſuper eam, neganſque illam eo tempore morituram, Joſephum ſecum abduxit. Decima quinta jam lux erat, qua de Helena nullum verbum audierat, quum repente præter Joſephi opinionem eum admonuit, ut domum remearet, amitamque religiosâ cuſtodiret diligentiâ; quippe quæ proximâ nocte, quod evenit, erat e vivis migratura. Poſt mortem CLEMENTIS X. Romam, ut novus Pontifex eligeretur, accedens, coram nonnullis in itinere de ſucceſſore ab eo ſciſcitantibus, Benedictum Odeſcalcum in Clementis locum ſubiturum ſine ulla hæſitatione prædixit. Presbyterum de Linorum familia Eccleſiaſticum numeris omnibus abſolutum, proſperâque utentem valetudine, Fontis frigidi Sacerdotio affecto curam animarum præficiens: doleo, inquit, me nunc Paſtorem deligere, qui ad breve tempus ovile paſcet Dominicum: quod præſagiens GREGORII dictum rei eventus liquido comprobavit, quum primo poſt initam parœciam menſe diem ſuum Linus obierit.

Propheticæ illuſtrationes ipſo rei eventu confirmatæ valde clarum GREGORIUM reddidere: ſed clariorem certe in Congregatione Fidelium, miraculorum virtus, divinæ in illo omnipotentiæ teſtimonium, eum effecit. Novem vivente GREGORIO, vigintiquinque illo mortuo, mirabilia ab eo perpetrata divinitus acta Veneta, ac Patavina teſtantur. Ex quibus pauca, ſatis ſit curſim referre, oratione ad exitum properante. Dum ad clatros Monaſterii Sancti Viti de futura Antiſtita e ſacris Virginibus voluntatem exquireret, mulier quædam Lucietta nuncupata nervorum contractione diu, ut omnes norant, laborans GREGORIO ſe ſe obtulit, petenſque eleemoſynam genua ſubmiſit. Ad

ſe

ſe erigendam impotentem famulos vocavit, ut juvarent; at illorum nemo præſto fuit. Quid igitur? Ipſemet opem ferre, ſuſtentare, erigere, eoque tangente (rem loquor penitus admirandam) Petri ad Portam Speciosſam renovatum fuit exemplum, nam eadem ſequente virtute ſtatim mulier convaluit, fulcra projecit, Deumque mirabilem in Servis ſuis prædicavit. Hoc grande ſignum per eum divinitus editum non minora ſigna nobilitarunt. Imperavit ventis, & aquis: has adegit recedere, illos quieſcere. Deficientem annonam mirum in modum multiplicavit: pueri ex utero matris claudi continuo baſes conſolidavit, & plantas; graviter ægrotantibus valetudinem; ulcere incurabili laborantibus ſanitatem repente reſtituit.

Sed quid plura ex actorum repetam fide, quum Tu, BENEDICTE SANCTISSIME, vicariam Numinis poteſtatem in hac Sacratiſſima Sede teneas, & exornes, cui mirabilia GREGORII adeo ſunt perſpecta, ut ſatius eſſe arbitrer de illo Te ipſum, quàm me, aut quemquam alium loqui Tecum? Habent enim GREGORII virtutes in actis Beneventanis pro eximia Tua religione abs Te præconium; habet percrebeſcens ejus Sanctitatis fama abs Te teſtificationem ſempiternam. In illis viginti ejus opem implorantes exoptata eſſe Dei beneficia conſequutos, præclaro etiam judicii Tui calculo firmatum eſt. In illis admirabili certe Dei providentiâ, quæ in ſua diſpoſitione non fallitur, miraculorum GREGORII Tu idem es teſtis, & conſcius. Eodem enim patrocinante precibus Tuis a pedis contuſione maximam Tibi moleſtiam plures dies afferente, poſt varia Medicorum remedia fruſtra tentata, ita convaluiſti, ut qui ſellâ ante geſtabaris per famulos, ejus vix implorato præſidio, neque baculo ad ambulandum uſus fueris.

Quid igitur ſupereſt, PATER SANCTISSIME, niſi ut margaritam, quam Tu optimus negociator pretioſam inveniſti, diutius ne ſinas deliteſcere, ſed divini interpres conſilii, quanti eadem ſit apud Deum, quantumque poſſint cæleſti ejus pre-

tio